

lib. 5. contra Donat. cap. 10. (a) proposita sibi quaestione, an baptisma Joannis peccata dimiserit, eam plane definire noluisse, ex quo inferunt Augustinum hoc pacto tacito quodam assensu concessisse Joannis baptisma peccata dimisisse.

In tantum enim SS. Doctor nil voluit definire; non quia ea de re dubitaret, sed quia nihil referebat ad causam dirimendam, quae ipsum inter, & Donatistas vertebatur.

Altero tamen nodo difficultatem implicat, ut futilis argumenti vires instarent; nimirum Ministerium Joannis fuisse nobilissimum Ministerio Moysi, cur ergo ipsius baptismus gratiam saltem non contulerit, eo modo quo conferebant Sacramenta Moisaica legis?

At non est nodus iste tanto vindice dignus: Reponere quippe facile est, fuisse nobilissimum ministerium quoad significationem, & preparationem populi, non quoad effectum gratiae. Cur vero Joannis Baptisma non perinde ac vetera Sacramenta, gratiam contulerit? Quia illa diutius mansura erant, uti sola salutis obtinenda remedia: Baptismus vero Joannis, vix uno, & altero anno perduravit; quo etiam tempore legis veteris Sacramenta perdurabant, ut eorum perceptione possent homines justificari, a peccato mundari, & salutem aeternam obtinere, uti tam multi obtulerunt.

PRELECTIO II.

An aliqua Verborum forma Joannes usus sit baptizando.

CUM nulla prorsus, de materia Baptismatis Joannis, difficultas oboriatur, quam ex variis Scripturarum Oraculis, aquam fuisse, certissime constat: de Forma duntaxat nobis est disputandum: Num scilicet aliqua illius forma fuerit, & quanam. Sunt enim vero nonnulli magni nominis Theologi, qui nullam illius formam fuisse putent, uti & nulla re ipsa veteris legis Sacramentorum forma fuerat. Ac quemadmodum Sacramentum Melchisedech, figura fuit incruenti Eucharistiae sacrificii propter similitudinem materiae panis nimirum & vini, non propter similitudinem formae, quae nulla in Melchisedechi sacrificio fuerat: Ita Baptisma Joannis Christi baptismatis figuram ac preparationem fuisse contendunt, ob solam ipsius materiam, nempe aquam, absque ulla verborum seu formae designatione.

Doctorem tamen Angelico visum est aliter 3. part. quest. 38. art. 6. ad 5. & in 4. Sent. distinct. 2. quest. 2. art. 1. ubi Joannem sub hac verborum forma baptizasse contendit, Ego te baptizo in nomine Christi venturi. In quam ego sententiam lubens accedo, non eo solo, quod a Doctore Angelico tradita sit, sed quod Scripturis & Patribus omnino consona videatur.

Scripturis inquam consona est: Act. 19. ubi Paulus de Joanne differens, ita loquitur: Joannes baptizavit baptismum poenitentiae populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.

Patribus vero perinde consona est: quia hoc idem docere discretissime Ambrosius & Hieronymus: ille quidem lib. 1. de Spiritu S. Cap. 3. aperiissime inquit, Joannes in Christi nomine baptizare solebat: Ille vero in Cap. 2. Joannis, agens de iis fidelibus, de quibus sermo est in actibus Apostolicis Cap. 19. Baptizati erant, inquit, baptismo Joannis, in eum, qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Jesu. Quo nihil potest esse discretius.

(a) Apud Nazal. Alexand. in hunc Locum.

Neque deest congrua ratio, qualis in hoc argumenti genere proferri potest. Utilitas enim cuiuscumque rei ex eius forma dignoscitur. Unde & formae sacramentorum illud exprimitur, ex quo sacramenta efficiantur & utilitatem habent. Quia ergo tota utilitas Baptismi Joannis erit disponere ad Christum, ideo haec illius competens forma erat, ut in nomine Christi venturi baptizaret.

Neque vero opponere juvat: quod Christus tunc venturus re ipsa non esset, sed potius iam venisset. Etsi enim iam venisset absolute, nondum tamen venerat manifeste & publice notus, in quem sensum verba formae accipiuntur.

At ecce, inquit mihi, si sic est, Baptismus Joannis non distinguitur a Baptismo, quo Apostoli baptizabant, cum & ipsi baptizarent in nomine Christi, ut saepius in actibus Apostolicis legitur.

Verum & id falsum, Apostolos in Christi nomine baptizasse. Age tamen, & ita illos baptizasse concedamus; adhuc tamen baptizare in nomine Christi ut venturi, & baptizare in nomine Christi, qui iam venerat, factis abunde baptismatis distinctionem argueret. Cujus ratio est: quia Sacramentum Baptismi longe aliter respicit Christum qui venit, quam Christum qui venturus est. Venturum quippe respicit, ut dispositio & preparatio ad eius adventum; At Christum qui venit respicit tanquam effectum, causam sui effectivum. Unde quod Joannes baptizasset in Christum venturum, & Apostoli baptizarent in Christum, qui iam advenerat, diversitatem inducebat Sacramenti Baptismatis: Nempe quod primum esset Sacramentum preparatorium ad Christum, alterum Sacramentum institutum a Christo, & iustificans per Christum.

Neque obest si forte dixeris, eandem esse fidem Patriarcharum & Prophetarum, qui credebant in Christum venturum, & nostrum omnium, qui Christum credimus iam venisse: dispar quippe ratio est fidei & Sacramenti. fides enim, cum sit assensus revelatis veritatibus datus, respicit veritatem ut in se est; diversitas autem temporum Patriarcharum non inducit distinctionem veritatis, quare eadem fides est, quae credebatur tunc Christum venturum; & quae modo in nobis credit eum venisse: at Sacramenta sunt effectiva & operativa; & ideo distinguuntur per varium operandi modum.

Urget nihilofcius Guillelmus Estius triplici momento, haud ita contemnendo. Primo: quod baptismus Joannis nihil interius produceret, quod virtute ac nomine Christi produci deberet. Secundo: Baptismus Joannis non erat verum Sacramentum, sed mera caeremonia. Tertio: quod Christus Joannis baptismate tinctus sit, quem certe absurdum est fingere, in sui ipsius nomine fuisse baptizatum, ac multo magis in nomine sui ipsius ut venturi, qui praesens aderat.

Solutio omnibus obvia est. Ad primum itaque respondeo, Joannis baptisma gratiam quidem interioriorem sanctificantem non produxisse, dispositiones tamen preparatorias producere potuisse. Cui addiderim etiam, in Sacramentis proprie dictis, & operativis verba formae significare effectum productum, & virtutem, quae re ipsa producitur; in Sacramentum autem improprio mere significativo, & nullatenus productivo, quale profecto fuit baptismus Joannis, verba formae non significare effectum, aut virtutem productivam illius; sed illum denotare, qui ea caeremonia adumbratur ac figuratur. Ex quo patet etiam Responsio ad productum Guillelmi alterum momentum.

Ad

Ad tertium vero dico, eandem semper recurrere difficultatem, seu baptismus Joannis expressam, quam diximus, formam habuerit, seu non habuerit. Cum enim Baptisma illud conferretur tanquam preparatio ad Christum, (sive id exprimeretur in forma, sive non) quare perinde potest, quomodo Christus ipse praesens recipere potuerit caeremoniam preparatoriam ad Christum venturum. Quare dicendum Christum, ad exemplum,

non ad necessitatem Joannis baptismus susceptus: illudque in ipso nec eos effectus, nec eas significationes habuisse, quas obtinebat in caeteris; uti plane dum circumcisus est Christus. Unde baptismus Joannis Christo collatum est, nulla prolata forma, solum aquae ablutione facta, ut caeteris praeberet humilitatis exemplum, non ut ipse ad Christum excipiendum prepararetur.

DISPUTATIO QUINTA.

De Confirmatione.

PRELECTIO I.

Sacramentum Confirmationis quid sit, & quando institutum demonstratur.

QUEM inter se tenent ordinem Ecclesiae Sacramenta, eundem in iis explicandis observare Theologi solent: quorum nos secuti morem, post absolutam de Sacramento Baptismatis Theologicam Tractationem, nostram nunc in explicando, quod proxime sequitur, Confirmationis Sacramento, industriam ac diligentiam exercebimus. Vereor tamen maxime, ne quis primo statim in lumine, hunc ipsum Sacramentorum ordinem, tritam licet, & ab omnibus usurpulum minus probe, quo post baptismum subjicitur Confirmatio, tunc recta serie Eucharistiae, Poenitentiae, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Equis enim, inquit mihi aliquis, Ordo ille est in Sacramentis? Si dignitatis, primum locum tenet necesse est Eucharistia, etiam ante Baptismum & Confirmationem. Si vero necessitatis, post Baptismum, sequatur necesse est Poenitentia, secunda, ut vulgo dicitur, post naufragium tabula. Nunc tamen quorundam imperitorum scrupulum eximit Doctor Angelicus 3. p. quest. 65. art. 2. Nec dignitatis, nec necessitatis, sed naturae ordinem illum esse inquit, ut primo quidem loco baptismus; secundo, Confirmatio; Tertio, Eucharistia; Quarto, Poenitentia; Quinto, extrema Unctio; Sexto, Ordo; Septimo, Matrimonium: quod ille Angelica plane ratione demonstrat.

Unitas, inquit ille, ordine naturae prior est multitudine; & singularis quique priores sunt communitate; cum & ex unitatis multitudine, & ex singularibus communitas coalescat. Sacramenta igitur, quae ad singulorum hominum bonum sunt instituta, naturae quidem ordine priora iis debent esse, quae ad communitatis bonum sunt instituta. Baptismus porro, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, ad proprium singularis cuiusque hominis bonum sunt instituta: baptismus quidem ut spiritualis generatio, quae primum etiam in ordine naturae locum habet; tum Confirmatio, tanquam geniti spiritualiter hominis corroboratio; postea Eucharistia, uti nutritio spiritualis; Poenitentia uti curatio ab infirmitatibus, quae in hujus vitae decursu contrahuntur; Extrema Unctio ut perfectio curacionis a contractarum infirmitatum reliquiis. Caetera vero, quae sequuntur Sacramenta duo, Ordo nimirum & Matrimonium, ad bonum Communitatis sunt instituta: Ordo Serry Tom. IV.

(a) Omnia habentur apud Tourmelli in hunc Locum.

do quidem ad spirituales fidelium curam, regimen & gubernationem per sacrorum hominum ministerium: Matrimonium vero ad eorumdem fidelium propagationem carnalem procurandam. Is igitur naturae in Sacramentis Ecclesiae ordo est; ut primo quidem loco Baptismus constituitur.

Nos itaque naturae ordinem secuti, explicato in antea Volumine Baptismatis Sacramento, in hoc de Confirmatione disputabimus: ac primum, de illius essentia deque illius Institutione, hodierna luce differemus.

Confirmationis itaque Sacramentum varia apud Patres nomina sortitum est, quibus ejus essentia explicatur ratione materiae qua constat. Vocatur saepenumero Sacramentum Chrysmatis apud Augustinum lib. 2. contra literas Petiliani cap. 10. Chrysmata salutis apud S. Leonem serm. 4. de Nativitate Chrysmata sanctum & Chrysmata supercaeleste in Concilio Laodiceno Can. 7. & 48. Quandoque etiam manus impositio vocatur apud laudatum Augustinum lib. 3. de bapt. cap. 16. & S. Isidorum Hispalensem lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 26. Ratione vero effectuum, qui eo Sacramento producuntur, dicitur plerumque a Patribus, Sacramentum plenitudinis Gratiae a D. Thoma 3. p. quest. 72. art. 1. Sacramentum perfectionis a Concilio Illiberitano Can. 38. & 77. Sacramentum Confirmationis a Concilio Florentino & Tridentino, quia fideles eo Sacramento confirmantur, ac robustiores fiunt ad fidem publice profendam. (a)

Ex his omnibus nominibus plana germanaque elicitur Confirmationis definitio, illius essentiam explicans: id est Sacramentum novae legis, quo fideles per manuum impositionem, & S. Chrysmatis inunctionem, ad Christi fidem palam & intrepide profendam Spiritus S. plenitudine roborantur.

Ordo nunc postulat, ut inquiramus quandam, a quo & quomodo institutio hac facta sit. Ut a primo igitur ordiamur. Fuere nonnulli, qui Sacramentum hoc ab Apostolis institutum censuerunt; ita D. Bonaventura in 4. sent. dist. 7. quest. 1. art. 1. Ita Alexander Aletis 4. p. Theol. quest. 24. Ea sententia valuit ante tempora Concilii Tridentini & Florentini, cum postmodum a duobus hinc Conciliis definitum fuerit, omnia novae legis Sacramenta a Christo D. fuisse instituta; ita Tridentinum Concilium Sess. 7. Can. 1. his verbis. Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostra instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. H h h 2 tri

trimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprium Sacramentum, anathema sit. Et certe si rem spectare velimus, Institutio Sacramentorum spectat ad potestatem excellentiæ, non ministerialitatis; Unde potestas excellentiæ solum in Christo; Apostoli vero solum ministerialem habuerunt; cui adderem etiam, Sacramenta instituta fuisse causa conferendæ gratiæ; ad eum porro collatio gratiæ pertinet, qui auctor est gratiæ; cumque solus ille auctor gratiæ sit, consequens est, cuiusvis Sacramenti novæ legis Institutionem a Christo D. factam fuisse.

Quo ad alteram propositæ difficultatis partem pertinet; scilicet quando nam fuerit Confirmatio instituta; expedire impossibile est ob varias ea de re Theologorum opiniones. Sunt multi, qui putant Christum instituisse Confirmationem, dum pueris nonnullis ad ipsum ductis manus suas imposuit, ut legitur in Evangelio *Matth. 19. & cum imposuisset eis manus &c.*

Hoc tamen futile ac ludicum aliis Patribus visum fuit. Quia pueri illi non ideo Christo fuerunt a Parentibus oblatis, ut confirmarentur, sed ut Augustinus, Gregorius & Anselmus docent, ad hoc ut ab illis infirmitatibus curarentur, quibus infecti erant. Uade illa manuum impositio non fuit confirmatoria, sed sanativa, ut legitur in Evangelio, *super agros manus imponent & bene habebunt.*

Neque refert, quod Senonense Concilium in Decretis fidei cap. 10. in eam sententiam venerit: Cum hoc Concilium mere Provinciale fuerit, ab Episcopis factum; quorum decreta nullo unquam tempore fuerunt a Romano Pontifice confirmata.

Sunt & alii, qui putant, Christum instituisse hoc Sacramentum in ultima cœna, dum promissit Apostolis futurum adventum Spiritus S. *Si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos; Si autem abiero, mittam eum ad vos Joan. 16.*

Sed & hoc futile, Esto enim Christus promississet tunc effectum huius Sacramenti; non per hoc sequitur Sacramentum ea in occasione instituisse. Quemadmodum etiam primo suo adventu promissit Christus effectum Eucharistiæ, dum dixit Apostolis suis, & fidelibus audientibus: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, nec tamen a Christo Eucharistiæ Sacramentum fuit tunc temporis institutum.*

Sunt & alii, qui volunt, Sacramentum hoc Christum instituisse post resurrectionis suæ triumphum, dum Apostolis dixit Joann. 20. *accipite Spiritum Sanctum.* At si subsequentiæ verba paulo penitus attendantur, colligitur, collationem illam Spiritus Sancti Apostolis datam fuisse in remissionem peccatorum, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Quid igitur in tam varia Theologorum opinione concludendum est nobis?

Probabilis existimarem, quod ea de re sentiant non pauci, Sacramentum hoc post Resurrectionem a Christo institutum fuisse, eo nimirum quadragesima dierum interstitio, quo converfabatur Christus cum Apostolis suis; loquens de Regno Dei, cum ea occasione promissit Apostolis plenam effusionem Spiritus S., quæ Confirmationis effectus est.

Sequitur, ut tertiam difficultatis partem haud ita contemnendam expediamus: quomodo scilicet ea Institutio facta sit.

Questionem hanc, ut fatear quod vera res est, celeberrime fecit dictum D. Thomæ 3. par. quest. 72. art. 1. ad 1. *Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo.* Ecquid enim sibi

vult? Non instituisse exhibendo, seu conferendo illud alicui, fatis capio; cum constet, Christum Sacramentum nullum in usu positum ministrasse seu tribuisse, quia virtutem suam non alligaverat Sacramentis, eorumque Sacramentorum effectum contulit sine Sacramento. At instituisse promittendo haud fatis intelligo; quasi vero tunc censetur institutum Sacramentum, dum promittitur.

Dicendum ergo non de promissione Sacramenti, sed de promissione effectus Sacramenti loqui Doctorem Angelicum: non quod ipsa etiam promissio effectus Sacramenti, illius institutio sit; sed quia certa quadam occasione, in qua Christus promissit futurum illapsam plenitudinis Spiritus S., Sacramentum illud instituit, materiæ ipsius, ac formæ designatione. Quenam autem occasio illa fuerit, non denotatur a D. Thomæ, fallunturque qui putant, D. Thomæ existimasse, id contigisse in ultima cœna, dum ait Christus Joann. 16. *si non abiero Paraclytus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Non enim ait D. Thomæ, id contigisse, dum ea verba protulit nocte Cœnæ; sed dum Spiritus S. adpromissit, secundum quod dixit in cœna Joann. 16. at quod dixit tunc in Cœna, sepius etiam alibi dixit Joann. 14. v. 26. *Luce 24. v. 49. Act. 1. v. 8.*

PRÆLECTIO II.

Sit ne Confirmatio verum Legis Evangelicæ Sacramentum, queritur.

Quamquam nostræ huius ætatis heterodoxi, concordi consilio negent Confirmationem verum esse legis Evangelicæ Sacramentum; quid tamen re ipsa sit, concordi consilio non definiunt, sed in variis secumque pugnantibus sententiis abeunt.

Calviniani meram suscepti Baptismatis Ratihabitionem, & approbationem esse continent. Quod illi ita exponunt. Cum primis Ecclesiæ temporibus permulti recentes ab utero, & rationis expertes baptizarentur infantes; dum postea rationis usum fuerant affecti, ad Episcopos ducebantur, & interrogabantur, an ratum haberent, quod ipsorum nomine a patris sui susceptoris in Baptismo promissum fuerat: id si ratum haberent, ab Episcopis tanquam vere valideque baptizati confirmabantur. Sin minus, tanquam non baptizati rejiciebantur. Ita Calviniani frequentius ariolantur.

Lutherani ex adverso confirmationem nudam suscepti baptismatis ceremoniam fuisse continent, iaventam & introductam a Melchiodo R. Pontifice anno Christi 311. dum solemniter ab Episcopo baptismum conferrebat.

Joannes Dallæus cæteris omnibus audacior ac petulantior, Confirmationem privilegium fuisse contendit, a Christo Ecclesiæ duntaxat nascenti concessum, ad gratias gratis datas baptizatis hominibus conferendas.

Nos longe aliter pronunciamus: Confirmatio Sacramentum est novæ legis, quo fidelis baptizatus ad Christi fidem palam & interpe se protestandam, Spiritus S. plenitudine roboratur, per manuum Episcopali impositionem, & Sacri Christismatis munitionem.

Probatum id ex duplici facto in Actibus Apostolicis relato. Refertur primum cap. 8. cum audissent Apostoli, quod recepsisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent oraverunt super ipsis ut acciperent Spiritum S. . . . Tunc imponebant manus super illos &c.

accipiebant Spiritum S. Refertur itidem alterum cap. 19. Cum Paulus venisset Ephesum, ibique multos invenisset baptizatos, nec a quo scivisset, iidem manus imposuit & acceperunt Spiritum S. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos.

Ex his duobus factis reselluntur recentium huius ætatis heterodoxorum paulo antea recitata commenta.

Patet enim Primo, non esse confirmationem suscepti antea baptismatis Ratihabitionem, uti explicant Calviniani; quandoquidem omnibus promiscue baptizatis ministrabatur.

Patet Secundo, ex iis factis, non esse suscepti Baptismatis ceremoniam (ut effusunt Lutherani) quandoquidem a nobiliori Ministro conferrebat.

Patet Tertio, non fuisse privilegium Ecclesiæ nascenti concessum, uti Dallæus fabulatur: quandoquidem ex Ecclesiæ Patribus constat, ritum illum, tunc primum ab Apostolis solum celebrari, posterioribus secularis fuisse ab Episcopis celebratum. Sic S. Cyprianus *Epist. 73.* narrato facto Petri & Joannis subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, & qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offeruntur, & per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum S. consequuntur, & signaculo dominico consumentur.*

Et S. Augustinus *lib. 15. de Trinit. Cap. 16.* *Orabant Apostoli (Act. 8.) ut Spiritus S. in eos veniret, quibus manus imponebant: quem morem in suis Præpositis, seu Episcopis etiam nunc servat Ecclesia.* Non erat igitur tunc ille privilegium a Christo D. nascenti duntaxat Ecclesiæ concessum ad gratiarum gratis datarum collationem. Quin etiam Tertullianus ipse, & Augustinus & Cyprianus superior *lib. de Resurrect. Carnis Cap. 8.* percensens tria Sacramenta, quæ simul ætate sua conferri solita erant, confirmationem qualis modo ministratur in Ecclesia, recenset, nempe per inunctionem & manus impositionem. *Caro abluitur ut anima emaculetur: En baptismum. Caro tingitur ut anima consecretur. Caro signatur ut anima muniat; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu S. illuminetur: En confirmatio, quæ nunc & per manus impositionem, & per Christismatis oblationem ministratur: Caro corpore Christi vestitur, & mens de Deo saginatur. En Eucharistiam.*

Duo tamen sunt, quæ difficultatem aliquam hanc de re videntur ingerere, palamque ostendere, ritum illum, qui modo sub nomine Confirmationis in Ecclesia celebratur, rem esse plane distinctam ab eo ritu, qui ab Apostolis per manuum impositionem ministrabatur.

Primo: Innocentius III. *Cap. cum venisset, extra de Sacra Unctione: per frontis Christismationem (quæ modo fit) designatur manuum impositio Apostolorum.* Si porro unum designat aliud, unum non est aliud.

Secundo: Eugenius IV. in Decreto pro unione Armenorum, *Loco manuum impositionis Apostolorum, datur in Ecclesia Confirmatio.* Si autem datur unum loco alterius, unum non est alterum.

Ad utrumque respondeo cum Bellarmino *lib. 2. de Sacramento Confirmat. Cap. 9* Innocentium III. & Eugenium IV. non significare his verbis, Christismationem in Ecclesia nunc fieri solitam ab Apostolis, esse loco impositionis manuum ab Apostolis olim fieri solitæ; quasi aut Apostoli non facerent Christismationem, aut nostri nunc Episcopi manuum impositionem non faciant; sed id solum

velle Innocentium & Eugenium id ipsum quod faciebant Apostoli dum dicebantur manus imponere, id facere nostros Episcopos, dum confirmare & christmare dicuntur. Adeo ut non ritus præsens a veteri ritu distinguatur, sed loquendi modus. (a)

Instant nihilominus Adversarii: Ritus ab Apostolis observari solitus ad impartiendum Spiritum S., toto Cælo videtur esse diversus ab eo, qui nunc ab Episcopis exercetur; & ratione effectus & ratione materiæ. Primo enim veteri illo ritu frequentius conferrebat gratiæ gratis datæ, nunc vero nunquam conferuntur. Secundo: olim sola fiebat manuum impositio, modo fit etiam christmatio cum manuum impositione, ex quibus liquet, præsentem Episcoporum nostrorum ritum longe esse diversum ab eo, qui ab Apostolis exercebatur.

At obvia utrique responsio. Si enim veteri eorum ritu frequentius conferrebat gratiæ gratis datæ, accidentale illud fuit ratione status nascentis Ecclesiæ. Quod olim postea sola manuum impositio fieret, id certo nesciri, fidenter pronuncio, cum Lucas compendiosè referat facta illa. Deinde de eo ipso controvertitur, an christmatio sit integralis? Demum ratio forte suberat, cur tunc christmatio non fieret, quia Spiritus S. etiam sensibiliter effundebatur. Tandem si id fecerunt Apostoli, ex privilegio fecerunt ut notat D. Thomæ *art. 2. ad 1.* Sed de his plenius loco suo.

Afferta igitur bonoque in lumine posita quantum ex Scripturarum Oraculis licuit, contra Lutheranos & Calvinistas atholica veritate; nimirum Confirmationem verum esse legis Evangelicæ Sacramentum; Non erit abs re ad majorem Catholici dogmatis confirmationem, SS. Patrum suffragatione demonstrare, a primis Ecclesiæ secularis semper ritum aliquem frequentatum fuisse, quo per manuum impositionem, & Christismatis inunctionem, ab Episcopis conferretur Spiritus S., eumque ritum semper cæteris Sacramentis adnumeratum fuisse.

Tertullianus itaque *lib. de Bapt. cap. 7.* *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctio . . . debent manus imponitur per benedictionem advocans, & invocans Spiritum S.*

S. Cornelius Pontifex R. & Martyr Epistola ad Fabium, relata ab Eusebio *lib. 6. Hist. Cap. 43.* de Novatiano, qui morbo correptus, in lecto fuerat baptizatus, ait. *Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, que juxta ecclesiasticam regulam percipi debent; neque ab Episcopo consignatus est; hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum S. potuit accipere?*

S. Cyprianus *Epist. 70. ad Janarium:* *Unge necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto Christismate, id est unctio, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguuntur oleo in altari sanctificantur.*

Optatus Milevitanus *lib. 7. contra Parmenianum,* Spiritum S. per unctioem christismatis conferri ait, eamque unctioem minime iterari docet; quin & inter cætera Donatistarum delicta ponit: *Seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis.*

S. Ambrosius *lib. 3. de Sacramentis Cap. 2.* *post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis, Spiritus S. infunditur. Post hæc quid sequitur? Venire debes ad altare.*

S. Hieronymus in *Dialogo adversus Luciferianos;* hæc est Ecclesiarum consuetudo, ut ad eos qui longe in minoribus Urbibus, per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem S. Spiritus manuum impositurus excurrat.

S. Au-

(a) Apud Nat. Alex. de Confirm.

S. Augustinus *libr. 2. contra litteras Peliliani Cap. 104.* explicans illud Psalmi 132. sicut unguentum in capite. In hoc unguento Sacramentum Christianis possumus interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacramentum est, sicut ipse baptisimus.

Iis accedunt S. Cyrillus Alexandrinus in *Comment. in Joeli Prophetam*; S. Leo Magnus *Serm. 4. de Natali Domini*, Innocentius I. *Epist. ad Decent. S. Hilarius Can. 4. in Mart. Innocentius III. extra de Sacra Unctione*, Concilium Florentinum, & Tridentina Synodus *Sess. 7. cap. 1.*

Erit forte, qui dicet, S. Hieronymum *Dialogo adversus Luciferianos*, mota quaestione, cur in Ecclesia per manus Episcoporum conferatur Spiritus S. Respondet id quidem ex ea auctoritate venire, quod post ascensum Christi Spiritus S. super Apostolos descendit; addit tamen multis in locis idem factitatum esse, ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis alicujus necessitatem. Nulla ergo divina lege nitur Confirmationis Sacramentum, sed merè disciplinae res est. (a)

Id quidem prima fronte subtiliter excogitatum: futiliter prorsus, & contra SS. Doctoris contextum, si paulo penitus observetur, id dictum, non de ipsa Sacramenti institutione, sed de usu tantum, ut significetur, non esse Sacramentum hoc de necessitate salutis, ut est baptisimus: unde addit Hieronymus: *alioquin si ad Episcopi tantum impetrationem Spiritus S. desinit, lugendi sunt qui in vicinis, aut in Castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserunt.*

Ea itaque Hieronymi auctoritate dimissa, ut pote parum ad eorumdem institutum accommodata, alii alio se recipiunt. Ajunt enim, Augustinum *lib. 3. de Bapt. cap. 16.* manuum impositionem non aliud quam orationem super hominem esse, sustinere; non igitur Sacramentum. *Manus autem impositio, non sicut baptisimus reperiri non potest: Quid enim est aliud, quam oratio super hominem?*

At observent, rogo illos, Augustinum de ea manuum impositione minime intellexisse, de qua in praesentia sermo est, sed de alia longe diversa. Multiplex est manuum impositio; Alia est Confirmatoria, cujus mentio fit in actibus Apostolicis *cap. 8.* de qua nos agemus. Alia sanativa, de qua legitur *Marc. ult. super egros manus imponent & bene habebunt.* Alia ordinatoria, qua sacri Ministri ordinabantur, de qua *2. ad Timor. 1. admonet se ut resuscites gratiam Dei qua est in te per impositionem manuum mearum.* Alia Reconciliatoria, qua in primitiva Ecclesia poenitentes fovebant Ecclesiae reconciliari, de qua saepenumero meminerunt Concilium Carthagenense *IV. Can. 80.* Arafricanum *I. Can. 3.* Agathense *Can. 11.* Augustinus igitur nec de Confirmatoria, nec de Ordinatoria, nec de sanativa, sed de reconciliatoria eo in loco sermonem habet; ibidem enim docet SS. Doctor hanc manuum impositionem iterari posse, unde cum ea manuum impositio, de qua agimus, nullo modo iterari possit, concludendum est nobis, hujusce nec per somnium quidem meminisse Augustinum.

Non ab simile argumentum efformant Confirmationis impugnatores ex eisdem SS. Doctoris *Epistola 118.* qua ostendere moluntur, non agnovisse Augustinum nisi duo Ecclesiae Sacramenta, Baptisimum scilicet & Eucharistiam: *Christus Sacramentis numero paucissimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit: sicut est Baptisimus, Trinitatis nomine consecratus, & communi-*

catio Corporis & Sanguinis Domini. Ex quo postea evincere se posse putant, Confirmationem novae legis Sacramentum dicendum non esse.

At non observant viri miseri, non notari laudata in epistola numerum distinctum Sacramentorum; sed ea dumtaxat notari, quae expressius Ecclesiae unitatem significant. Unde addit. *Et si quod aliud in Scripturis Canonice commendatur, vel potius ait Ecclesiae unitatem iis solis duobus Sacramentis ostendi: et si alia Sacramenta sint, ex quibus tamen ea unitas non probatur.*

Idem in simili specie momentum petunt ex Ecclesiae veteris consuetudine. Ecclesia superioris aetatis, ajunt isti, nullam agnovit peculiari Sacramentum ad conferendam animi firmitudinem necessarium ad fidei professionem coram Tyrannis. Notat enim D. Cyprianus *Epist. 54.* Athletas ad Martyrium prorepantes, solo ab Episcopis Eucharistiae Sacramento muniri.

Argute quidem atque subtiliter observatum? At ratio cur Athletae ad Martyrium pergentes ab Episcopis non confirmarentur, haec erat; quia ii in antecessum, cum fuerint baptizati, fuerant etiam confirmati; cum id tunc temporis in usu esset; unde solo Sacramentali cibo ab Episcopis eo in casu confortabantur.

Ex his ergo, quae haecenus ab hujus disputationis exordio sunt dicta, multiplicique Patrum suffragatione confirmata, illud in summa conficitur; Confirmationem, nec meram suscepti baptisimatis Ratiabitionem; nec nudam suscepti baptisimatis caeremoniam; nec privilegium a Christo Ecclesiae dumtaxat nascenti concessum; sed veram Novae Legis Sacramentum fuisse, & a primis Ecclesiae saeculis ne dum frequentatum, sed ceteris Sacramentis semper adnumeratum fuisse.

PRÆLECTIO III.

Materia Sacramenti Confirmationis, quae sit, ostenditur.

Cum Ecclesia Catholica in conferenda Confirmatione, tum manuum impositionem, tum sacri chrismatis inunctionem exerceat; Quarum idcirco Theologi, quoniam ex iis sit materia necessaria Confirmationis.

Sunt, qui putant, solam manuum impositionem essentialem hujusce materiae fuisse, & caeremonialem dumtaxat sacri chrismatis inunctionem.

Sunt & alii, qui dicunt necessariam fuisse sacri Chrismatis inunctionem, caeremonialem vero manuum impositionem.

Recentiores nonnulli, ut eas discrepantium inter se Theologorum opiniones concilient, excogitant, Christum D. hujusce Sacramenti materiae in genere, non autem in specie designasse, hoc est mandasse Apostolis suis, ut in Confirmatione conferenda quocumque materia ut possent, dammodo haec effectum sacramentalem obfignarer.

Haec mihi per multum temporis opinio probabilior est visa; At cum rem intimius perpendere, hoc Theologorum inventum longe a veritate fuisse, cognovi, cum Patres superioris aetatis, omniumque saeculorum utriusque materiae distincte meminerint.

Meminit itaque primo II. Christiani nominis saeculo Tertullianus *lib. de Baptismo 7. lib. de Resurrect. cap. 8.* & manuum impositionis, & Chrismatis inunctionis.

Memi-

DISPUTATIO V. PRÆLECTIO III.

Meminit tertio Christiani nominis saeculo S. Cyprianus, manuum impositionis *Epist. 73. ad Judaganum*; Unctionis vero *Epist. 70. ad Januarium*.

De utraque verba fecere saeculo quarto S. Joannes Chrysostomus & Optatus Milevitanus & S. Pacianus eisdem cum Chrysostomo aetatis. Chrysostomus nempe manuum impositionis *in cap. 8. Act. & in 4. 6. ad Hebraeos*; Optatus vero & Pacianus Inunctionis: *illo lib. 7. contra Parmenianum*; Ille *Epist. 1. ad Sympronium*.

Utriusque sermonem habuere saeculo quinto Hieronymus & Augustinus, qui saeculum illud illustrarunt. Hieronymus nempe manuum impositionis in Dialogo contra Luciferianos; Augustinus vero impositionis *lib. 3. de Bapt. cap. 16. Unctionis lib. 2. contra litteras Peliliani cap. 104.*

Sexto tandem & septimo saeculo alisque sequentibus, S. Gregorius Magnus in Sacramentario aperte meminit Confirmationis, ubi Confirmationis ritum distincte perscitet. Eisdem meminit Eugenius in Decreto unionis Armenorum, & Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. 2. Posteriora vero Concilia, Moguntinum can. 17. & Remense titulo de Confirmatione meminerunt manuum impositionis.* Ex quo liquet, quam futile & falsum sit illud Theologorum inventum, qui Christum Confirmationis materiae in genere designasse dumtaxat commenti sunt.

Ex his igitur colligere ego, utramque simul tum manuum impositionem, tum sacri Chrismatis inunctionem desiderari tanquam partialem ex aequo Sacramenti materiae, unde totalis & integra coalescit.

Quod vero Patres aliquando solius meminerint Confirmationis, nonnunquam solius manuum impositionis; ideo fuit, quia tunc compendio tantum ritum hunc retulerunt.

Duo tamen haec in re difficultatem habent longe gravissimam. Primo: quod legitur in *Actibus Apost. Cap. 8.* ubi narratur quo pacto cum audisset *Apostoli, qui erant in Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* Ex quo loco videtur, quod Apostoli, a quibus ministrandorum Sacramentorum exemplum petere oportet, cum sola manuum impositione hoc Sacramentum contulerint, cum eo in loco mentio habeatur solius manuum impositionis; nulla facta sacri Chrismatis mentione. Secundo: Quod Graeci, quorum ritum uti validum probat Ecclesia Latina, solum Unctionem adhibeant absque manuum impositione.

Utriusque propositae difficultatis parti praesto est responsio: De utroque concedo, Apostolos cum sola manuum impositione confirmationem contulisse; Notandum tamen, fecisse id ex quadam peculiari dispensatione ipsis concessa, quae trahi a nobis in exemplum nullatenus potest. Ratio vero cur ad inunctionem faciendam fuerint Apostoli dispensati, quamque plures assignant post D. Thomam *art. 2. ad 1. & post Concilium Moguntinum can. 18. & Concilium Colonense in doctrina hujus Sacramenti haec est.* Cum Spiritus S. super baptizatos tunc visibiliter descenderet, & interior inunctio visibili illo Spiritu S. illapsu satis innosceret, non erat cur ad ejus designationem sensibilis illius, qua modo utrim materiae, scilicet Chrismatis applicatio requireretur. Cui & haec alia addi possent: Unctio sacri chrismatis

matis preciosa erat, cum igitur Apostoli pauperes essent, ut tot expensas facere minime possent, ideo necesse fuit, ut ab hac peculiariter dispensarentur.

Ad illud vero quod subdunt, de Ecclesiae Graecae ritu uti valido a Latina probato, respondeo, distinguendum inter Veteres Graecos & recentiores. Veteres impositionem manuum adhibuisse certo liquet ex Theodoro *in cap. 6. Epist. ad Hebraeos*, Euchologio Alexandrino apud Photium, *Cod. 280.* Simeone Theffalonicense *lib. de 7. Sacramentis.* Recentiores vero, de quibus videtur aliquid esse dubium, an eam manuum impositionem perinde faciant, quia haec in illorum Euchologiis distincte non praescribitur; eam nihilominus non omittunt; quandoquidem illam ipsam orationem recitant super confirmandos, quam recitant Latini, quamque impositionis manuum formam existimant; Orationis manuum, inquam, septiformem Spiritus S. gratiam invocantem. Quomodo autem eam orationem super confirmandos ederent, nisi manus aliquo saltem modo illis imponerent?

Addam etiam, Confirmationem ipsam, in fronte fieri non posse dextero pollice (uti profecta Graeci faciunt) nisi manuum impositio, modo fiat: uti nostrates Theologi notant. Unde Hugo a S. Victore Unctionem ipsam, manuum impositione peragi scribit: *Manus impositio, inquit, qua usitato nomine Confirmatio vocatur ea est, qua Christianus Unctione Chrismatis per impositionem manus, in fronte signatur: lib. 2. de Sacramentis part. 7. cap. 2.* Quod idem videtur innuere Innocentius III. *Cap. cum venisset de sacra Unctione*, inquit, *per frontis Confirmationem manus impositio designatur: quia & ipsa Unctio facta in fronte baptizati, manus quaedam impositio est.* (a)

Illud jam reliquum est, ut de Sacri Chrismatis consecratione sermonem instituerem. Quae ut novam dicendi materiae praebet, ita peculiari Exercitatione in sequenti pertractabitur.

PRÆLECTIO IV.

Balsamum ad sacri Chrismatis consecrationem oleo admisceri solitum fuisse demonstratur; Hujusmodi balsami admixtio, num necessaria sit necessitate Sacramenti, num necessitate praecipui Ecclesiastice quaritur.

Balsamum oleo admisceri solitum fuisse ad sacri Chrismatis consecrationem, jam a priscis Ecclesiae saeculis liquet. Primo: ex S. Gregorio Turonense *lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 40.* Secundo liquet ex S. Gregorio Magno *in Sacram. Tertio: ex Auctore de Card. Operibus Serm. de Unctione Chrismatis.* Quarto: ex Venerabili Beda *in cap. 1. Cantic.* Quinto: Ex Pontificalibus Ecclesiarum Occidentalium. (a)

At illud maxime inter Theologos & Jurisperitos fuit semper disputatum, sit ne hujusmodi balsami admixtio necessaria absolute necessitate Sacramenti, adeo ut si Sacramentum hoc conferatur sine admixtione balsami, nullum omnino sit; an solum necessitate praecipui Ecclesiastici, uti est admixtio aquae cum vino.

Mira profecto istorum contentio est. At ut fatear quod sentio, multos ex his legi. Tamen cum eorum omnium momenta atreacius ponderaverim, tandem aliquando statui, nil certi ea de re posse definiri, quamquam plerique Theologi in

(a) Vide Tournellii de Sacram. Conf. in hunc Locum Edit. Ven. 1739.

(b) Vide Theolog. Mor. Nat. Alex. de Conf. in hunc Locum Edit. Venet. 1728.

(a) Haec omnia apud Tournellii de Conf.

in ea enodanda questione paginas impleant, & in varias sententias dilabuntur.

Age nunc rem agamus, & ad posita assertionis probationem discrepatum Theologorum momenta qualibet minutatim ac per partes expendamus.

Primum itaque momentum petunt ex auctoritate veterum Patrum, ut ostendant eam admixtionem balsami necessariam esse necessitate Sacramenti; Ajunt enim, plerisque Patres Chrysmata necessaria hujusce Sacramenti materiam dicere. At nomine Chrysmatis non solum intelligitur oleum simplex, sed cui balsamum est admixtum; ea igitur admixtio balsami necessaria dicenda est necessitate Sacramenti.

Quam futile hoc sit liquet in primis ex eo, quod Patres illi ajunt quidem Chrysmata materiam esse illius Sacramenti; At non definiunt quo titulo mixtio illa necessaria sit, an necessitate Sacramenti, an necessitate precepti.

Ceterum nomine Chrysmatis oleum mixtum intelligendum non esse, patet ex vi Græci ipsius vocabuli Chrysmatis; quod qualemcumque inunctionem importat. Hinc S. Augustinus *lib. 17. de Civit. cap. 10. In Veteri Testamento*, inquit, Reges Chrysmi vocabantur, quia Chrysmate illo mystico consecrati erant. Et Innocentius I. *Epist. ad Decentium* oleum infirmorum, Chrysmata vocat; & tamen oleum illud, quo Reges illi uncti erant, & inungebantur infirmi, mixtum non erat, sed simplex.

Non absurdum argumentum petunt ex Eugenio IV. in decreto, ut olei & Balsami mixtionem in sacri Chrysmatis consecratione necessariam ostendant: Cujus materia est Chrysmata, consecratur ex oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsamo, quod odorem significat bonæ fame. (a)

Verum non advertunt ceci homines, & in uno vocum materialium cortice duntaxat hærentes, eam non esse solemnem Eugenii definitionem, sed nudam Theologicam expositionem eorum, quæ communiter in Ecclesia Latina tenentur.

Quid ni dicamus, declarari illic simpliciter, balsamum ingredi in compositionem Chrysmatis; quo jure vero ingrediatur, an necessitate Sacramenti, an necessitate precepti non fuit a Pontifice declaratum. Quin imo videtur significasse, eam olei & balsami commixtionem necessariam fuisse necessitate precepti; nam eo modo, quo explicans materiam confirmationis, ait esse ex oleo & balsamo; id pariter dicit, dum explicat materiam consecrationis calicis; nimirum vinum, cui paululum est admixtum aquæ, nec perinde intelligit hanc vini & aquæ mixtionem necessariam fuisse necessitate Sacramenti, quasi quod nulla consecratio fieret, si nihil aquæ fuisset vino commixtum.

Se vero longe magis deridendos propinat Theologorum aliqui, qui ex mystica significatione quam habet balsamum oleo mixtum, ejusdem commixtionis necessitatem ambitiosius ostendant. Quasi quod ea omnia, quæ in administratione Sacramentorum mysticam habent significationem, sint necessaria necessitate Sacramenti. Et certe illæ omnes ceremoniæ, quæ in baptismatis collatione exercentur, habent mysticam significationem, nec tamen sunt necessariae necessitate Sacramenti.

Restat quorundam alterum longe gravius momentum, sed quod facile expeditur. Ajunt, scilicet hi, Concilium Colonienſe in doctrina de Sacramento confirmationis afferere, balsamum esse de essentia, & negare solum oleum sufficere

ad veritatem Sacramenti. Ex quo colligere certo putant, necessario necessitate Sacramenti balsamum oleo esse miscendum.

Egregie quidem. At dicant mihi, per fidem suam, cujus auctoritatis sit hoc Concilium, cui solum Episcopi numero paucissimi interfuerunt, cuique Pontifex confirmationem negavit?

Addiderim etiam, ad uberiorum hujusce objectionis solutionem, nihil tale in Actis seu I. seu II. Concilii Colonienſis inveniri, uti Viri critica scientia celebratissimi nostra hac ætate observarunt. (b)

Jam vero quam inania eorum etiam Theologorum momenta sint, qui hanc balsami & olei immixtionem necessariam ostendunt necessitate precepti, iis manifestum fore arbitror, qui hæc vel obiter lectitarint. Age nunc videamus.

Primum igitur, quod sumunt momentum ad suæ sententia comprobationem, est, quod Patres bene multi Confirmationem vocent Sacramentum olei: Porro, ajunt hi, si mixtio olei cum balsamo necessaria esset necessitate Sacramenti, non vocaretur a Patribus Sacramentum olei, sed olei & balsami, dicendum est igitur, hujusmodi immixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed Ecclesiastici duntaxat precepti.

Huic primo momento reponere facile est: Patres enim, qui vocant Confirmationem Sacramentum olei, denominationem petunt a majori parte, cum in sacri Chrysmatis consecratione major debeat esse olei pars, quam balsami. Et certe, si ex eo quod Patres Confirmationem vocent Sacramentum olei, ab iis exclusum balsamum intelligeretur; eadem ferme ratione & manuum impositione ab iis exclusa videretur, unde sicut Patres in sacri Chrysmatis consecratione nunquam manuum impositionem exclusam intellexerunt, ita nec balsamum; quamquam confirmatio ab iis Sacramentum olei voceretur.

Negotium facessere videtur longe majus, quod ex Innocentio III. desumunt alii *cap. Passaralis, extra de Sacramentis non iterandis*. Nos consulere voluisti, si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrysmate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter respondemus, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum. Supponit ergo, id quod omissem fuerat, nempe admixtionem balsami cum oleo, non esse essentialia Sacramenti: alias ex illius defectu Sacramentum omnino nullum fuisset, totumque fuisset iterandum, ac non tantum supplendum, quod fuerat omissem.

Speciosum id quidem, ac de summa facie prorsus invictum: si tamen spectetur intus facile noscere quisque potest, spuriam esse consecutionem illam. Nam & Gregorius XV. *cap. Presbyter sub eodem titulo de Presbytero & Diacono* interrogatus, qui sine manuum impositione fuerant ordinati, perinde respondet, non esse aliquid iterandum, sed casu supplendum, quod per errorem existit prætermisum: quamquam certum omnino sit, omissem in hujusmodi ordinatione manuum impositionem esse essentialia. Idcirco ergo statuunt in hujusmodi casibus, non esse aliquid iterandum, etiam quod omissem est, substantiale esse poneretur, quia dum secundo fit illud ipsum, quod antea invalide factum est, non est veri nominis iteratio. Unde laudatus Innocentius III. *cap. veniens; de presbytero non baptizato*, illud non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. In casu ergo nostro nihil est iterandum eorum, quæ constat esse

esse facta, atque adeo non esse iterandam manuum impositionem: est tamen tota unctio iteranda, seu potius facienda. Equo enim pacto suppleri posset balsamum benedictum sine nova inunctione, seu Chrysmatione, cum seorsim ab Episcopo non benedicatur balsamum, sed oleo admixtum? aut quomodo potest fieri nova inunctio balsami sine nova forma prolatione, cum balsami simul & olei sit unica forma.

Leviore longe momenti est hoc alterum, quod ab aliis petitur argumentum. Essentialis, ajunt hi, Sacramenti materia debet esse obvia, inventu facilis, ac minime pretiosa, cum ideo a Christo instituta sint Sacramenta, ut facilis via fidelibus patere possit ad æternam salutem obtinendam. Quomodo igitur id fieri posset, si ea commixtio olei cum balsamo necessaria non esset necessitate precepti? Cum teste Plinio *lib. 12. c. 21.* primis illis Apostolorum temporibus adeo rarum esset balsamum, ut in duobus duntaxat hortis regis oriretur: unde Titus capta Jerosolyma arbutulam balsami in triumphum detulit.

Quis quæso ineptam argumentationem non videat, quales alia extiteret permulta? quid vetat Christum instituisse Confirmationem in materia pretiosa? Nil certe repugnat. Primo, quia peculiaris, ut diximus, facta fuit Apostolis dispensatio; Secundo, quia balsamum quamquam tempore Apostolorum adeo pretiosum esset, ut ii se non habentes emere nullimode possent, poterant tamen ære publico Ecclesiæ providere, cum ea ætate temporum ditissime facultatibus abundarent ubique passim Ecclesiæ. Nam in actibus Apostolicis, (ut cætera multa historica monumenta missa faciam,) sæpenumero legitur, fideles suas omnes facultates tunc temporis vendere, ut pretium earundem offerrent Ecclesiis.

Nugantur demum in ea, quæ in Ecclesia Græca viget consuetudine. Ajunt enim, Chrysmata apud Græcos non solum confici ex oleo & balsamo, verum etiam ex aliis duodecim aromatibus, & tantillo vini; ut videre est in Euchologio & apud Arcudiam in concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis *lib. 2. cap. 5.* unde sicuti hæc alia non sunt de essentia sacramenti, ita & balsamum minime necessariam esse contendunt.

At non advertunt, si nugis illis est locus in sacri Chrysmatis consecratione, longe diversam esse rationem balsami, & duodecim illorum Aromatum, quæ in usu sunt apud Græcos. Miscetur enim alia hæc aromata ex peculiari ritu Ecclesiæ Græcæ ad varios effectus Sacramenti significantes. Quare tamen hæc omitti possint, nequit tamen omitti balsamum: Unde a Romana Congregatione Græcis Romæ degentibus præceptum est, ut tam modica quantitate addantur, ut semper odor balsami prævalere possit.

Plura hic addere facile fuerit, sed quoniam ejusdem pene furoris sunt, ideo ab opere supervacuo arbitror abstinendum, & progrediendum ad alia.

PRÆLECTIO V.

Chrysmata in Confirmationis collatione adhibendum, benedicendum seu consecrandum esse. Hanc Chrysmatis benedictionem, seu consecrationem ab Episcopo faciendam esse, ostenditur. Nam ea Episcopalis consecratio necessaria sit necessitate Sacramenti, queritur.

Chrysmata in Confirmationis collatione adhibendum, benedici seu consecrari oportere, Serry Tom. IV.

certo liquet ex Veterum Patrum testificatione, maxime vero Tertulliani *lib. de Baptismo*, S. Cypriani *Epist. 70.* Basilii Magni *lib. de Spirit. S. cap. 26.* Optati Milevitani *lib. 7.* S. Cyrilli Hierosolymitani *Cateches. 3.* S. Augustini *Tract. 118. in Joan.*

Eam benedictionem seu consecrationem Chrysmatis ab Episcopo fieri oportere, nil minus certum, testimonio Innocentii I. *Epist. 1. ad Decentium*, Gregorii Magni in *Sacrament.* Honorii Augustodunensis, Ruperti Abbatis, Fortunati, Arnaldi, aliorumque qui de Divinis officiis & Ecclesiasticis ritibus scripsere. Quibus addi possunt decreta Conciliorum, eam consecrationem Presbyteris, ac etiam Chorepiscopis prohibentium; Carthaginensis II. *Can. 3.* Carthagenensis III. *Can. 26.* Toletani I. *Can. 20.* Hispanensis II. *Can. 7.* Vormatiensis *cap. 2.* Quibus etiam accedunt Euchologia Orientalis Ecclesiæ, & Pontificalia Ecclesiæ Latine. (a)

Verum illud maxime controversum, num ea Episcopalis consecratio sit de necessitate Sacramenti; adeo ut Chrysmatio nulla proferat & irrita foret, quæ Chrysmate fieret non consecrato, aut etiam consecrato a simplici Sacerdote? Quia in obseunda provincia, vereor maxime, ne curiosa magis, quam vera, ac necessaria sectari videatur: cum ob varias Theologorum inter se fide dissentium sententias nihil certi ea de re defini, ac statui possit.

Hoc utique recto ordine demonstrabimus, si quæ quique proferant momenta atque rationes, elumbes proferat, ac futiles ostenderimus.

Primum igitur argumentum, quo nituntur ostendere, consecrationem illam ab Episcopo esse faciendam ex eo petunt, quod Ecclesiæ omnibus retro seculis nunquam passa est, Chrysmata a simplicibus Sacerdotibus benedici: At frustra id illis prohibuisse Ecclesiæ, si Sacerdotibus benedictio sufficere posset ad validitatem Sacramenti Confirmationis: Non itaque sufficit, adeoque necesse omnino est, ut Chrysmata sit ab Episcopo consecrata.

Sed id leve, nulliusque momenti. Id enim semper prohibuit Ecclesiæ, non ad necessitatem & validitatem Sacramenti, sed ad decentiam, & congruitatem: quia cum Episcopus minister sit hujus Sacramenti, conveniens etiam & congruum est, ut materiam ipsam consecret, cujus fit usus in hoc Sacramento: aut certe congruum est, ut materia hujusmodi a Ministro Inferiori non consecratur.

Alterum momentum petunt ex Eugenio, qui in Decreto pro instructione Armenorum ait, hujus Sacramenti materiam esse Chrysmata ab Episcopo benedictum: quin etiam addit, quod licet in Ecclesiastica historia legatur per aliquam Pontificis dispensationem factum, ut simplex Sacerdos Confirmationem conferret; non tamen nisi Chrysmate ab Episcopo consecrato; adeo verum est, solum Episcopum chrysmata consecrare posse.

At & hujus expediendi momenti eadem suppetit via. Ait enim Eugenius, Confirmationis materiam esse chrysmata ab Episcopo benedictum; non quidem necessariam necessitate Sacramenti; sed convenientem & congruentem; cum congruum minime sit ac conveniens, ut Episcopus qui Minister Confirmationis est, conferat hoc Sacramentum in materia ab alio benedicta; maxime vero, quia Sacerdos cum inferiori gradus sit, injuriam quodammodo esset dignitati Episcopali, si Confirmatio deberet in materia a Sacerdote simplici consecrata ab Episcopo ministrari.

(a) Vide qui supra ibid.

(b) Vide Journalis in hunc Locum Edit. Ven. 1739.

(a) Vide Tournellii in hunc Locum. Edit. Ven. 1739.

Ad illud postea quod addit, fuisse quidem aliquando hujusmodi Sacramenti collationem simplicibus Sacerdotibus ex dispensatione concessam; semper tamen Chrismate ab Episcopo consecrato, brevi observatione respondeo. Ideo in casibus, in quibus dicitur Pontifex dispensasse, ut simplex Sacerdos confirmationem conferret, non dicitur iterum dispensasse, ut & ipse Chrismate consecraret; quia non erat æqua ratio dispensandi super Chrismatis consecratione: quia chrisma ab Episcopo consecratum facile potest ad ea loca deferri, ad quæ non ita facile potest Episcopus pergere; unde videtur cur iis Sacerdotibus, quibus fuit hujusmodi Sacramenti collatio a Pontificibus aliquando permessa, nunquam tamen fuerit Chrismatis consecratio concessa.

At sentio, me plus iusto hæere in limine, si hodierna Dissertatione, cuncta ad id evincendum excogitata momenta referre velim: hæc pauca selegi, cum cætera omnia, utpote ejusdem conditionis ac fortis ad hæc unice reducuntur. Restat modo, ut alia Theologorum secus sentientium momenta ad crismam vocemus, ut & ejustem furfuris, & parvi utilitatis esse, ostendamus.

Dicunt igitur primo in sua sententia probationem: Qui potest plus, potest etiam minus; sed potest simplex Sacerdos consecrare corpus Christi: Ergo & potest benedicere Chrismate. Quam futile & ineptum sit hoc argumentum, æquis non videt? Concedo & ego, quod qui potest majus potest & minus; in iis tamen quæ potest naturali sua potestate: V. G. qui ferre potest pondus centum librarum, potest ferre etiam pondus triginta; At secus est in iis, quæ potest potestate supernaturali, & caracteristica; quia potestas hæc non oritur a nativis viribus, sed ex mera Christi Sacramenta instituentis voluntate; unde contingere potest, dedisse quidem Sacerdotibus facultatem ministrandi aliquod Sacramentum licet majus; non tamen dedisse potestatem alterum exercendi licet minus. Hoc constat exemplo. Certo certius est magis esse consecrare Corpus Christi, quam aliquem ab infirmitate sanare; Tamen dedisse Sacerdotibus primum, non vero secundum, nemo non videt.

Nihil felicitius Conclusionis sue probationem desumunt alii ex duabus S. Hieronymi Epistolis; Una ad Rusticum Narbon. de septem gradibus Ecclesie, ubi aperte asserit, hæc consecrandi Chrismatis potestatem, non penes solum Episcopum esse, sed & penes Presbyterum. Ad Evagrium altera, cujus hæc verba sunt: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?*

Infelicitè sane atque futilliter. Illius enim Epistolæ quæ a D. Hieronymo ad Rusticum vulgo creditur scripta, non est cur verba faciamus; cum hæc jam uti apocrypha ab eruditissimis quibusque criticis aperte rejiciatur.

At eam vero, quam ad Evagrium scripsit Epistolam, brevi verbo respondeo, momentum ab ea petuum nimis probare: probare nempe Presbyterum esse etiam Ministrum ordinarium & consecrationis Chrismatis, & Confirmationis, quare dicendum, eam Hieronymi propositionem non esse generalem; & quod ibi omisit Hieronymus, posuisse in Dialogo contra Luciferianos, ubi Episcopos, baptizatos in frontem Chrismate docet, quod non facit Sacerdos.

Ludunt pariter illudque alii bene multi; qui ajunt, legi in Actis S. Sylvæstri, eum constituisse, ut Chrisma a solo Episcopo consecraretur; ut inde ostendat, simplices Sacerdotes ante acta S. Sylvæstri chrisma consecrare potuisse;

& chrisma consecrationem mere esse disciplinam.

Insuper planè commentum! Id enim a Sylvæstro fuit constitutum, non ut novum Episcoporum privilegium, quasi quod ante id temporis liceret etiam cuiquam Sacerdoti consecrare, sed in confirmationem antiqui illorum juris, contra quorundam Presbyterorum audaciam.

Antequam finem faciam, & ad uberiorem materiam hujusce noticiam; corollarium loco notandum vellem, istius Chrismatis consecrationem, ex veteri ritu fieri feria V. sanctioris Hebdomadæ, ex S. Gregorio Magno in Sacramentario, & ex Concilio Meldensi cap. 46. Primo, quia ea die ante biduum Paschæ Maria caput & pedes Domini unxit unguento, Secundo, quia eo die Agnus Paschalis imolabatur, eiusque sanguine postes sunt obstruati, Tertio, quia eo die quod est institutum Eucharistia Sacramentum, congruum est parari tanti Sacramenti materiam; quia omnia Sacramenta ad Eucharistiam tanquam ad finem ordinantur.

PRÆLECTIO VI.

Quæ sit Sacramenti Confirmationis forma. Quibus verbis constet, nunquam ea numero verba, vel saltem æquivalentia ad illius valorem requirantur, proponitur, explicatur.

Peracta de Confirmationis materia Theologica Tractatione; pauca nunc de istius forma dicenda superant, quæ nos haud longo tempore detinebunt. Quare, ut potremam istam provinciam paucis expediamus, rem ferme rotam ad tria capita revocabimus, quæremusque, quæ sit istius Sacramenti forma, quibus verbis constet, nunquam ea numero verba, vel saltem æquivalentia ad illius valorem requirantur. Quæ tria, ut semel explanata fuerint, nihil erit ultra, quod studiosam Juventutem hac in parte morari possit.

Ordiamur a primo. Certo certius est duplici materia partiali, duplicem quoque formam partialem respondere. Oratio igitur manuum impositioni correspondens, illius forma partialis est. Verba Chrismatis inunctioni respondentia, nempe *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* altera sunt forma partialis Sacramenti Confirmationis.

Utramque porro probare non est admodum operosum, si & sacris Litteris expendantur, & ad Patrum sanctorum calculos exigantur.

Et certe, Orationem manuum impositioni respondentem, formam Confirmationis partialem esse, ut meridiana in luce cæcutire necesse est, qui negaret; Scriptura, & Patres adeo luculenter demonstrant. Limpidissimumque est illud quod legitur in Actibus Apostolorum cap. 8. *Cum audissent Apostoli, qui erant in Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem; qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.*

Distincte hæc quidem, & individue ut ita loquar describere Ecclesie Patres, S. Cyprianus, & S. Hieronymus; ille quidem Epistola 73. in qua narrato facto Petri, & Joannis hæc habet; *qui in Ecclesia baptizantur, Prepositis Ecclesie offeruntur, ut per nostram orationem, ac manuum impositionem Spiritum S. consequantur.* Ille vero in dialogo contra Luciferianos: *hæc est Ecclesiarum consuetudo, ut Episcopus ad invocationem Spiritus S. manuum impositionem accedat ad baptizatos.*

His etiam adscriptur Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 2. cujus dignissima verba syllabam referet.

ferre non piget. *Post fontem baptismatis superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus S. infunditur.*

Omnia vero longe disertius Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. ubi agens de Apostolis, hæc habet. *Orabant ut veniret Spiritus S. ad eos, quibus manus imponebant, quem morem in suis prepositis etiam nunc servat Ecclesia.*

Æquis igitur non videt, adeo certum esse orationem manuum impositioni correspondentem, Sacramenti Confirmationis partialem formam existere, ut citra audaciam in dubium verti nequeat; utpote testium omni exceptione majorum suffragio communitam. Jam vero verba Chrismatis inunctioni respondentia nempe, *Signo te signo Crucis, &c.* aliave non abfimilia partialem pariter Confirmationis formam esse, quod caput est susceptæ disputationis alterum, aliis bene multis evincitur argumentis.

Liquet hoc ex Decreto Eugenii Pontificis, ex Sacramentario Gregorii Magni, ex Ordine Romano, ex Pontificalibus Occidentalis Ecclesie, ex Euchologis Græcorum, ubi hæc aliave similia verba, in faciendi Chrismate recitanda præcipiuntur. Nempè

Signaculum septem Donorum Spiritus S. vel signaculum Doni Spiritus S.

Signo te signo Crucis, Confirmo te Chrismate salutis.

Signum Christi sit tibi in vitam æternam.
Confirma te Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

Signat te Deus sigillo fidei sue in consignatione fidei in nomine Patris . . .

Signo te signo Crucis, pax tecum, & cum spiritu tuo.

Unde igitur, inquiet fortasse aliquis, tanta verborum varietas orta est? In promptu responso est non una, sed duplex. Primo, quia sacris in litteris forma Confirmationis, uti forma Baptismatis, & Eucharistie, non est expressa. Secundo, quia antiquitus ab iis verbis scripto consignandis cavebant Episcopi: Unde Innocentius I. a Decentio interrogatus de iis respondit: *verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

Enascitur tamen hoc loco scrupulus obiter eximendus. Sunt nonnulli, qui putant, formulam hanc fuisse formulam reconciliationis hæreticorum dum ad Ecclesiam redibant; hoc probant ex Canonibus Concilii I. Constantinopolitani, in quo legitur: *undeos primum sacro Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, recipimus; & eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus S.*

Scrupulum eximit primus omnium Arcudius, luculenter exponens, id dictum de hæreticis in sua secta minime confirmatis, ut erant Novatiani, qui idcirco dum ad Ecclesiam redibant, confirmabantur. De quibus ait Theodoretus lib. 3. hæret. fabul. cap. 5. *Iis quos baptizant, sanctissimum Chrismate non prebent. Quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesie conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* (a)

Cui addiderim ego, nil repugnare, quin invocatione Spiritus S. perinde fiat, & in receptione hæreticorum in Ecclesiam, & in Confirmationem; modo tamen ad diversum finem, distinctumque effectum fiat. In Confirmatione invocatur ad robur conferendum, in Reconciliatione invocatur ad veritatem obtinendam.

Serry Tom. IV.

Succedit nunc demum alterum potissimumque probationis caput examinandum; num scilicet forma Confirmationis iidem numero verbis constare debeat, an tantum æquivalentibus, dummodo sacra Chrismationis effectum quomodolibet expriment, ut exinde quaramus an eadem numero verba, quibus utitur hodie Ecclesia Romana adeo necessaria sint, ut sub aliis verbis ab hisce diversis valide nequeat ministrari.

Qua in re sidenter pronuncio, formam iis verbis constantem, qua utitur Ecclesia Romana, minime necessariam esse, sed tantum congruentem; adeo ut possit Confirmationem sub aliis etiam verbis ministrare.

Hujus congruentie rationem assignat S. Thomas, & post eum Catechismus Concilii Tridentini: quia scilicet iis verbis exprimitur causa conferens plenitudinem Spiritus S. nempe SS. Trinitas: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Exprimitur itidem robur spirituale, quod Chrismatis delibatione confertur, scilicet *confirmatio in fide: confirmo te Chrismate salutis.* Exprimitur tandem signum Crucis, quod notatur is, qui christiana militie certamen aditurus est: *Signo te signo Crucis.*

Non esse tamen de essentia formæ Confirmationis postrema verba, quibus Trinitas invocatur, inde liquet, quod nulla nunc Trinitatis invocatio in Græcorum forma continetur, quam tamen ut validam probat Ecclesia Latina.

Neque valet, si quis nobis objiciat, hujusmodi invocationem esse de essentia formæ baptismatis, ut inde consequens sit, debere esse de essentia Confirmationis. Ideo enim invocatio Trinitatis essentialis forma est Sacramenti Baptismatis; Primo, quia in Evangelio præscripta est; Secundo, quia Baptisma est Sacramentum fidei professionis, qua quis aggregatur Ecclesie. Sacramentum vero Confirmationis instituit Deus celebrari per aliqua tantum verba, quæ ipsius effectum significarent; reliquit tamen Ecclesiasticæ potestati verba illa determinare, unde orta est in Latina, & Græca Ecclesia ea diversitas formarum, diversique ritus ministrandæ Confirmationis.

PRÆLECTIO VII.

Proprium effectum Confirmationis temporibus etiam Apostolicis non fuisse donum linguarum, Prophetie, aliarumque gratiarum gratis datarum, multis evincitur. Gratiam, & charactere proprium esse hujus Sacramenti effectum, demonstratur.

Quam ante dies aliquot, dum de Confirmatione sermonem instituissem, Lutheranorum & Calvinistarum aberrationem obiter tantum exposuimus; eandem hodie ex instituto confatamus. Tametsi enim Lutherani, & Calvinistæ concordii consilio negent Confirmationem verum esse Legis Evangelicæ Sacramentum; Quidve re ipsa sit concordii consilio non definiant; cum in nudam suscepti baptismatis cæremoniam esse contentant; Isti meram Baptismatis suscepti Rationem, & approbationem esse sustineant; Conveniunt tamen inter sese, effectum hujus Sacramenti non esse nisi gratias gratis datas. Quid ergo nos in presentia agere oporteat, ut istorum hallucinationem resellamus? Duo hæc ex opposito demonstranda nobis incumbit. Primo, proprium effectum hujus Sacramenti, etiam temporibus Apostolicis non fuisse donum linguarum, Prophetie aliæque gratie gratis datæ. Secundo, Gratiam, &

I i i 2 cha-

(a) Vide Journellii in hunc Locum.

characterem duo esse Confirmationis effectus demonstrare.

Hoc igitur pacto primam propositam difficultatem partem ex ordine attingo. Certe Spiritus S. ad eum effectum tunc temporis dabatur, qui a Christo promissus fuerat Apostolis in die Pentecostes: At Christus *Luce ult.* non promissit Apostolis Spiritum S. ad gratias gratis datas, sed ad gratiam confirmatricem, gratiam scilicet roboris, firmitudinis ad publicam fidei testificationem: *Ego mittam promissum patris mei in vos: vos autem sedete in Civitate, quo ad usque induamini virtute ex alto, & Ag. 1. Accipietis virtutem Spiritus S. in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Iudæa &c.* Hæc enim promissio non solos spectabat Apostolos, sed & ceteros fideles, ut Petrus ostendit, (*Ag. 2.*) qui Sacramento Confirmationis donabantur.

Accedit, & aliud observatione dignissimum: Apostolos admodum sollicitos fuisse, ut fideles baptizati, per manuum impositionem reciperent Spiritum S. ac vice versa parum fuisse sollicitos, ut donum linguarum, aliasque gratis gratias datas haberent; imo eos adhortatos fuisse, ut amularentur charismata meliora *1. ad Cor. 12. 13. 14.*

Quod ergo plerumque darentur huiusmodi gratia, per accidens fuit, donumque temporarium censebatur, quod nascentis Ecclesie necessitas ad fidei propagationem postulabat, uti notavit Augustinus *lib. 3. contra Donatistas cap. 16.* non natus proprieque Sacramenti illius effectus, quem admodum etiam contigit per baptismum aliquando corporis sanitatem recuperatam fuisse, nec tamen ea sanitatis recuperatio fuit effectus baptismatis.

Suffragatur & ratio disertissima, proprius cuiusque Sacramenti effectus datur ad profectum & bonum atque salutem suscipientis, ut melior inde fiat ac sanctior; Gratia porro gratis data non sunt ad bonum, & profectum suscipientium, nec meliores inde fiunt ac sanctiores, qui eas obtinent; quandoquidem eas conferuntur maximis etiam peccatoribus. Videmus enim sacris in litteris perditissimos homines quandoque huiusmodi gratias obtinuisse; Videmus Caipham virum sceleratissimum prophetasse; Videmus, & Balaam in veteri Testamento Idololatram prophetie donum exercuisse; quinimo legimus in Evangelio multos in die extremi iudicii clamantes non se in nomine tuo prophetavimus? non se in nomine tuo multas virtutes fecimus?

Facessant ergo vanæ illæ Lutherorum & Calvinistarum argumentationes, quæ lucidissimæ Veritati nebulas offundere moluntur.

Jam vero Gratiam, & characterem (quod alterum potissimumque probationis caput est) proprium esse Confirmationis effectum, paucis evinco.

Gratiam igitur habitalem, & sanctificantem non primam quidem, sed secundam Confirmationis Sacramento conferri, nemo ambigit, cum verum sit legis Evangelicæ Sacramentum; quod etiam distinde confirmant S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. 3.* S. Augustinus *lib. 2. contra litteras Pelitiani cap. 104.* Theodoretus in *Cantica ad cap. 1.* S. Ildorus Hispanensis *lib. 6. Orig. cap. ult.* cuius porro generis illa sit, explicandum est nobis.

Dicendum ergo gratiam esse augmenti, roboris, perfectionis, consummationis, quæ homo ad fidem publice profitendam roboratur, jusque acquirit ad specialia auxilia obtinenda, ubi sese fidei profitenda occasio dederit.

Gratiam itidem consummationis appellat S. Cyprianus *Epist. 73.*

Gratiam perfectionis Concilium Illiberitanum *Can. 38.*, & S. Ambros. *lib. 3. de Sacramentis cap. 2.*

Gratiam augmenti simul, & roboris Hilarius Arelatensis *homil. in Pentecostem, & cap. Spiritus S. dist. 4. de consecratione.*

Gratiam demum quæ perfecti Christiani sumus laudatus jam Cyrillus *Catechesi 3. & cap. ut jejuni, & cap. omnes dist. 4. de consecrat., & Concilium Rothomagensis anno 1581.*

Unde Academia Parisiensis Anno 1631. duas istas propositiones quorundam Theologorum Anglorum proscriptit, uti falsas, temerarias, in errorem inducentes, & communi Patrum sensui repugnantes.

Prima: *Catholicos chrismate unctos in baptismo, licet ab Episcopo non confirmatos, perfectos esse Christianos in sensu Patrum.*

Secunda: *singulos catholicos, qui baptizantur ritu catholico, vel qui recipiunt ceremonias catholicas baptismi, licet non fuerint confirmati ab Episcopo, fuisse, & esse perfecte Christianos omni modo.*

Gratiam illam consummationis, & perfectionis comitantur septem dona Spiritus S. quibus virtute hujus Sacramenti homines cumulantur. Donum scilicet sapientie, donum intellectus, donum consilii, donum fortitudinis, donum scientia, donum pietatis, donum timoris Domini; quæ dona definiuntur a S. Thoma *1. secundæ quest. 68. art. 1.* habitus supernaturales, quibus homo iustus disponitur, ut prompte, & facilius sequatur instinctum Spiritus S. ad iudicandum de rebus divinis, quibus debeat adherere.

Donum intellectus est habitus supernaturalis, quo iustus disponitur, ut prompte, & facilius sequatur instinctum Spiritus S. ad iudicandum de rebus divinis, quibus debeat adherere.

Donum intellectus est habitus supernaturalis, quo iustus disponitur, ut prompte, & facilius sequatur instinctum Spiritus S. ad rectam de ultima sine estimationem habendam.

Donum Consilii habitus est supernaturalis, quo disponitur iustus, ad recte deliberandum in rebus difficillimis, ac præsertim inopinatis.

Donum fortitudinis habitus est supernaturalis, quo disponitur iustus, ad consequendum finem operis ardui propter Deum suscipi, & superanda quæcumque pericula ex adverso imminentia.

Donum Scientiæ est habitus supernaturalis, quo iustus homo disponitur credenda ad discernenda a non credendis, recteque iudicandum de rebus humanis quatenus nos ducunt ad Deum.

Donum pietatis est habitus supernaturalis, quo disponitur iustus, ad exhibendum cultum Deo debitum.

Donum timoris est habitus supernaturalis, ad Deum reverendum timendumque timore utique non servili, sed filiali. (a)

Pars postea assertionis altera; scilicet characterem effectum Confirmationis alterum esse, quo fit ut iterari omnino non possit, Patrum omnium firmatur assensu. S. Augustini, *lib. 2. contra litteras Parmeniani cap. 13.* S. Gregorii Magni *lib. 12. Reg. Epist. 31.* Gregorii II. *Epist. 4. ad Bonifacium;* & Concilii Cabilonensis *2. Can. 27.* Hoc etiam evincunt decretoriæ rationes: Certe Neophiti signantur in fronte tanquam milites Christi, signat illic in fronte milites suos, ait Tertullianus. *Sigilla Domini consumentur,* inquit Cyprianus *Epist. 77.* porro signum illud, & sigillum debet esse indelebile, unde Chrismatio ratione characteris, quem imprimit, iterari non poterit.

Accedit; nos quadam veluti consecratione insigniri, sed consecratio perpetuo manet; ergo & in nobis

nobis perpetuo manebit ea consecratio, quam per Confirmationem obtinemus; qua sane ratione utitur Augustinus ut probet, & Baptisma & Confirmationem iterari non posse: *contra Epist. 1. Parmeniani cap. 13. Utinamque Sacramentum est, & quædam consecratio homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.*

At erit forte qui dicat: Ritus quo hæretici reconciliabantur Ecclesie iterari omnino poterat, si nimirum sæpius in hæresim lapsi, sæpius redirent: At ille erat ipsiusmet Confirmationis Sacramentum, quandoquidem fiebat per manuum impositionem cum invocatione gratiæ septiformis Spiritus S. ut habet Siricius Papa *Epist. ad Himerium cap. 4.* Imo fiebat cum Chrismatis inunctione, sub præscripta verborum forma ex *Canone 7. Concilii I. Constantinopolitani, & ex Methodio Patriarcha Constantinopolitano Canone de Ritu Recipiendorum hæreticorum.*

In promptu responso est: illa enim manuum impositio erat solum reconciliatoria & ad penitentiam, ut liquet ex Stephano I. ex S. Cypriano *Epist. 74.* & ex S. Augustino *lib. 3. de baptismo cap. 11.* Secundum ea invocatio non erat ad robor, sed ad remissionem peccati, ut constat ex variis Græcorum Euchologis. Tertio Chrismatio illa, ceremonialis tantum erat, & Ecclesiasticæ institutionis: unde nec in omnibus Ecclesiis perinde ritus ille observabatur. Arianos per impositionem manuum Occidentem recipiebatur, Oriens vero per unctionem sacri Chrismatis: Monophysitas vero alioque, cum sola fidei professione: ut habet S. Gregorius Manus *lib. 9. Epist. 61. ad Quirinum.* Quarto. Ea Chrismatio, cum qua hæretici aliqui recipiebantur in Ecclesia, plerumque simplicibus Sacerdotibus committebatur, ut videre est in *Canone 1. Concilii I. Araucani, & Canone 16. Concilii Epaonenis:* Non erat ergo Confirmatoria & Sacramentalis, quæ a solis Episcopis fieri poterat.

PRÆLECTIO VIII.

Solos Episcopos Ministros esse Sacramenti Confirmationis, multis evincitur.

DE Ministro Confirmationis hodierna luce dum disputo, cum Græcis Schismaticis proaris & focus mihi depugnandum occurrit. Photius Græcorum Schismatis Antesignanus, (ut liquet ex *Epist. Nicolai I. ad Himerium*) & Joannes Witellessus, (ut constat ex *Sess. 8. Concilii Constantiensis*) simplicem Sacerdotem ordinarium Ministrum faciunt. Quin etiam Armachanus *lib. 2. de quest. Armenorum cap. 4.* hanc potestatem Diaconis ipsis adjudicat. Cum contra Ecclesia Latina a primis temporibus usque ad hæc nostra professâ sit, solos Episcopos ministros esse Sacramenti Confirmationis, ut patet ex Decreto Concilii Tridentini *sess. 7. can. 3. Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Quantum vero illos sua semper opinio fefellerit, satis abunde in antehabitis demonstravimus; dum & Confirmationem novæ legis Sacramentum esse, & secundam gratiam & characterem ipsius effectum existere, contra ipsos ostendimus. Verum ne & istud potissimum controversiæ caput perfunctorie tantum attigisse videamur, quam & in hoc capite alieni a veritate Græci sint, admotis veluti calculis exponemus.

Et certe scripturarum indicem texendum aggredere si cuncta Oracula referre velim, ex quibus

compertum est, solius Episcopi munus esse Sacramentum Confirmationis ministrare: Pauca seligam, unde cetera nosci poterunt.

Apertissimum igitur huiusce rei testimonium habemus in Actibus Apostolorum *cap. 8.* ubi legimus, *Quod cum audissent Apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent araverunt pro eis, & imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* Ex quibus liquet, novisse tunc temporis Apostolos, solos Episcopos administratos esse Confirmationis.

Confirmat hoc vel maxime quod ibidem legitur *cap. 19.* ubi habetur, quod cum Paulus venisset ad Ephesios, & interrogasset an baptizati essent: Responderunt ei, baptizatos fuisse baptismate Joannis. Quod cum audisset Apostolus, iussit statim ab inferioribus ministris baptizari baptismate Christi, dein ipse iis manus imposuit, ut acciperent Spiritum S. Ex quo constat, inferiores illos ministros Sacramentum confirmationis non potuisse ministrare, quandoquidem Paulus post baptismum ab iisdem collatum manus super ipsos imposuit, ut acciperent Spiritum S.

Accedit ad huiusce veritatis Confirmationem verulissima Ecclesie consuetudo, secundum quam quicumque five a Diaconis, five a Sacerdotibus baptizati, ad Episcopos duci jubebantur, ut ab eis per orationem, & manuum impositionem Spiritum S. acciperent, quo perfererentur, & consummarentur, ut constat ex S. Cypriano *Epist. 73.* ex S. Joanne Chrysostomo in *cap. 8. Actuum Apostolorum*, S. Hieronymo in *Dialogo contra Luciferianos*, Innocentio I. *Epist. ad Decentium*, Innocentio III. *cap. quanto extra de consuetudine Gregorio IX. Epist. ad Barensem Episcopum*, ex Innocentio IV. in litteris ad Tusculanum Episcopum, & ex *Capite Marius, & cap. de his, dist. de consecrat.*

Hic tamen ut facilius dissolvantur difficultates, quæ nobis contra assertionem nostram possunt obtrudi, id tanquam certum statuendum est, Confirmationem a simplici Sacerdote Græci ritus administratam ratam habendam esse eo dumtaxat in loco, in quo ejusmodi Græcorum mos fuerit vel expressa Sedis Apostolica dispensatione, vel saltem tacita ejusdem Sedis conniventia, & lenitate approbatus, alioquin si fuerit improbus, irrita omnino erit, atque reiteranda illa Confirmatio. Quemadmodum Nicolaus I. irritam declaravit Confirmationem receptam a Sacerdotibus, qui Photii errore imbuti eam contulerant jure ordinario, existimantes nimirum potestatem eam conferendi & Episcopis, & Sacerdotibus pari jure convenire. Ita etiam Innoc. III. compefcuit Sacerdotum Latinorum abusum, utpote qui Græcorum ritus sibi adoptaverant, & Græcorum more Confirmationem absque ulla Apostolica concessione conferre audebant. His igitur simpliciter collocatis semper manet, solos Episcopos esse Ordinarios Sacramenti Confirmationis Ministros.

Videamus tamen modo quo momento nitantur Græci, ut suam illam sententiam teuantur. Factum in primis asserunt petiitum a *cap. 9. Actuum Apostolorum:* ubi narratur, quo pacto Ananias, de quo dubium est, an ille fuerit ordinarius Episcopus, quemque Occumenius solum Diaconum dicit, Paulo ad fidem miraculose converso manus imposuit; ex quo colligunt hi, Ministrum ordinarium Confirmationis simplicem Sacerdotem esse posse.

Id quidem prima fronte subtiliter excogitatum: at improbe profus, & contra Oracula contextum, si paulo penitus observetur.